

Ecclesia jus tale sibi non agnoscit; nam conc. Vatic. exponens naturam infallibilitatis Romano Pontifici collatae (*De Eccl. c. 4*), ait: « Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut, eo *revelante, novam doctrinam patefacerent*; sed « ut, eo assistente, traditam per Apostolos revelationem, seu, fidei depositum, sancte custodirent et *fideliter exponerent.* » Et revera, nulla est ex definitionibus Ecclesiae quae doctrinam noviter revelatam sapiat.

74. Prob. 3°. Ecclesia dicitur *apostolica* apostolicitate doctrinae. Atqui talis apostolicitas in eo consistit, quod Ecclesia nihil doceat quod ab Apostolis non acceperit.

75. Dixi: non dari incrementum *nisi improprie et secundum quid.*

Illud incrementum locum habet, ubi: 1° dogma de cuius revelatione controvertitur, ab Ecclesia docente declaratur divinitus revelatum; 2° dogma certo revelatum, clarioribus verbis exprimitur, contra illud male intelligentes; 3° decernitur talem veritatem in altera revelata contineri formaliter, quamvis implicite.

In iis omnibus casibus, nihil proponitur de novo revelatum; sed revelatio facta in tuto ponitur; et hoc est munus proprium Ecclesiae docentis.

## DISSERTATIO SECUNDA

DE ACTUS FIDEI DIVINAE MOTIVO, SEU, OBJECTO  
FORMALI.

76. Circa fidei divinae motivum, inquirendum venit: quid sit, in quo praecise consistat, qua ratione cognoscatur, et influat in assensum credentis. Ad quod explicandum quaeruntur septem.

### QUAESTIO I.

Quid per motivum fidei divinae proprie intelligatur?

77. Resp. In praesenti, motivum fidei non consideramus in ordine ad voluntatem. Statim enim intelligitur motivum fidei, ut sic, esse bonum illud cuius appetitus voluntatem ad actum fidei imperandum determinat. Quod bonum multiplex fingi potest, videlicet: 1° debitum subjiciendi intellectum Deo loquenti; 2° obedientia erga Deum qui fidem praecipit; 3° meritum quod credendo lucratur; 4° major adhaesionis certitudo ac firmitas, etc...

78. Consideramus itaque divinae fidei motivum in ordine ad intellectum credentem; et, ut sic, est aliqua veritas quae cum objecto revelato connexionem habet et necessariam et immediatam.

Requiritur 1° connexio necessaria. Est enim, in genere, motivum intellectus, id cuius cognitio effica-

citer hunc movet ad assentiendum alicui veritati. Atqui id tantum movet efficaciter intellectum ad credendum, quod cum veritate credenda habet connexionem necessariam.

Requiritur 2<sup>o</sup> connexio immediata. Differt enim fidei motivum a motivis credibilitatis quibus factam fuisse revelationem demonstratur; quae ideo immediate, non cum veritate revelata, sed cum ejusdem credibilitate connectuntur. Talia motiva disponunt quidem ad assentiendum, sed hunc fidei assensum non determinant. Insuper multum variantur, dum fidei motivum est semper unum et idem.

79. Veritas sic necessario et immediate cum objecto revelato connexa, *motivum* fidei vocatur, quia intellectum ad credendum movet. Dicitur etiam *objectum fidei formale*, quia dat actui fidei specificam formam qua in sua natura constituitur, et ab alio actu distinguitur.

#### QUAESTIO II.

An et quatenus auctoritas Dei revelantis sit motivum fidei divinae?

(Salm. *De fide* : Disp. 1. Dub. 2. n. 55... 72.)

80. Resp. Dico 1<sup>o</sup> : *Auctoritas Dei loquentis est verum fidei divinae motivum, seu, objectum formale.*

Constat 1<sup>o</sup> *Scriptura sacra*. Etenim, passim in Scripturis, Dei testimonium tanquam fidei nostrae firmiter extollitur. Sic Christus (Joan. v, 31, 32.) : *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium*

*meum verum est. Alius est qui testimonium perhibet de me, et scio quia verum est testimonium ejus.* S. Joannes (1. Ep. v. 9) : *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.*

81. Constat 2<sup>o</sup> *ex ipsomet conceptu fidei in communi*. Fides enim, ex propria sua ratione quatenus ab humana et divina praescindit, innititur dicentis testimonio, ut motivo et ratione formali. Quod autem est de conceptu communi pluribus speciebus, debet omnibus speciebus sub illo conceptu inclusis competere.

82. Hinc est quod conc. Vatic. (Constit. *Dei Filius*, cap. 3.) plane decernat : « fidem quae humanae salutis initium est... virtutem esse supernaturalem quae, « Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata « vera esse credimus... *propter auctoritatem ipsius « Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest.* » Et infra can. 2 : « Si quis dixerit... ad fidem divinam « non requiri ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur ; anathema sit. »

83. Ideo, amplius, illaesa fide, sustineri nequit opinio eorum qui, ut testatur theol. Wirceb. (*De fide*, n. 138.) olim docuerunt solam Dei revelationem esse objectum formale fidei, et auctoritatem divinam duntaxat connotari *in obliquo*. De caetero, in hac sententia, fides non haberet sufficienter rationem virtutis theologicae, quia virtutis theologicae motivum, saltem principale, debet esse praedicatum divinum.

84. Dico 2<sup>o</sup> : *Auctoritas Dei revelantis, quae est fidei motivum, reponenda est in hac perfectione, vi cuius Deus nec falli, nec fallere potest, seu, in summa Veracitate.*

Ad hanc explicandam Veracitatem, sat communiter theologi duplicem in Deo distinguunt veritatem : in cognoscendo, scilicet, et in dicendo. Veritas in cognoscendo illum facit ab omni errore immunem ; veritas in dicendo, illum cujuscumque mendacii facit expertem ; et ex utraque veritate summa Dei Veracitas coalescit.

Theologi Salmanticenses hanc Veracitatem explicant per omnimodam quam Deus in verbis observat veritatem. Haec quippe omnimoda veritas in verbis, exigit ut Deus neque fallatur, neque fallat. Cum enim verba sint immediate signa conceptuum et mediate rerum ad quas conceptus referuntur ; hinc ad hoc ut sint omnimode vera, opus est quod tam conceptibus quam rebus adaequantur. Nam, sive a conceptibus sive a rebus dissideant, eo ipso omnimodam prae se veritatem ferre nequeunt. Ergo ad summam Dei Veracitatem pertinet, ut verba quae profert tam conceptibus quam rebus cohaereant. Conformitas conceptuum cum rebus excludit omnem errorem, et conformitas verborum cum conceptibus excludit omne mendacium, et utraque conformitas Deo, utpote summe Veraci essentialis, facit ut nec falli nec fallere possit.

85. Jamvero, evidens est auctoritatem Dei sic intellectam esse fidei divinae rationem formalem. Etenim ex eo praecise quod Deus ponitur summe Verax, jam concipitur in illo sufficiens auctoritas ut ipsi credamus. E contra, ablata hujusmodi ab eo perfectione, quibuscumque aliis perfectionibus intellectis, non concipitur in illo ratio sufficiens, ob quam ipsius verbis immobilem fidem adhibere debeamus.

Merito itaque conc. Vatic. definit hanc auctori-

tem propter quam Deo revelanti credimus, hanc esse qua nec falli nec fallere potest.

QUAESTIO III.

Utrum et quatenus actualis Dei revelatio ingrediatur objectum formale fidei ?

(Salm. *De fide* : Disp. 1. Dub. 3. § 2, 3. n. 89... 102. — Theol. Wirceb. *De fide* : n. 146... 150. — Lugo, *De fide* : Disp. 1. Sect. 1.)

86. Resp. Videri potest quod actualis Dei revelatio non ingrediatur fidei objectum formale ; et ita sentiunt Scotus, nonnulli Thomistae, Habert, Grandin, Hennö, Dens, S. Ligorius (Lib. 2. c. 1. in fine). Juxta illos, actualis revelatio est simpliciter conditio indispensabiliter requisita ; non vero constituit, ne quidem partialiter, fidei motivum.

87. Etenim, 1° revelatio, de se, est indifferens ad verum vel falsum, ac proinde non habet connexionem necessariam cum vero ; at haec connexio necessario reperitur in divina Veracitate, posito quod Deus revelaverit. Ergo haec Veracitas est adaequatum fidei divinae motivum ; revelatio autem, nonnisi conditio praevia.

2° Praeterea, motivum, seu, ratio formalis movens ad assensum fidei, est id in quo ille assensus ultimo resolvitur, ex parte intellectus credentis. Atqui assensus fidei divinae non resolvitur ultimo in divinam revelationem, sed in attributum Veracitatis. Fidelis enim requisitus quare credat aliquod dogma, respondet

Ad hanc <sup>1</sup> Deus illud revelavit. Siscitanti autem quare theologi deo revelanti, optime respondet : quia Deus est cognoscendo Verax, hicque sistit interrogatio et resolutio. Praeterea, ratio formalis fidei divinae debet haberi in deo, ratione sui et independenter ab alia, vim cau- terendi ejus actum. Porro actualis Dei revelatio non habet hujusmodi vim independenter a divina Veracitate, quam applicat rebus creditis, sed cum dependentia ab illa. Ergo actualis revelatio non est motivum assentiendi rebus creditis, bene vero mera conditio applicans rationem Veracitatis divinae veritatibus credendis.

4<sup>o</sup> Praeterea, Veracitas divina sufficit ad assentien- dum huic propositioni universali : Quidquid Deus revelat verum est. Ergo etiam sufficit ad assentien- dum cuilibet veritati particulari, quae in praedicta universali continetur, modo ipsius continentia certo nobis constet per revelationem, tanquam per veram conditionem. Consequens probatur, ex paritate cum consensu dato huic propositioni : *Petrus est redemptus*, quae creditur ex eodem motivo, propter quod assentimur huic universali : *Omnis homo est redemptus*. Sufficit quippe si, per modum conditionis, certo sciatur Petrum esse hominem.

5<sup>o</sup> Praeterea, fides, utpote virtus theologica, non habet pro motivo aliquod ens creatum, sed perfectio- nem divinam. Atqui actualis Dei revelatio est entitas creata. Ergo non potest esse motivum fidei.

88. Sed contra dico 1<sup>o</sup> : *Probabilius est actualem Dei revelationem ingredi objectum fidei formale ; ita ut illud objectum coalescat, sicut ex rationibus*

*formalibus partialibus, ex attributo Veracitatis, et ex actuali revelatione.*

Ita, cum D. Thoma, Capreolus, Cajetanus, Joannes a s. Thoma, Suarez, Lugo, Kilber (Theol. Wirceb), Sal- manticenses, et alii praestantissimi theologi.

Prob. 1<sup>o</sup>. Ratio motiva fidei divinae est testimonium divinum, ut multoties asserunt Scriptores sacri. Atqui divinum testimonium est ipsamet divina locutio, seu revelatio. Testimonium enim importat formaliter ha- bitudinem loquentis ad audientem, id est, exprimentis ad extra proprios conceptus ; siquidem testificari ni- hil aliud est quam veritatem conceptam, per propriae auctoritatis interpositionem, alteri notam facere. Jam- vero Deum testificari hominibus veritates credendas, est ipsa revelatio actualis. Ergo...

89. Prob. 2<sup>o</sup>. Motivum fidei est veritas qua ad cre- dendum movemur, ob immediatam connexionem quam necessario habet cum veritate credenda. Atqui talis connexio nec in sola Dei Veracitate, nec in reve- latione sola, sed in utriusque complexu reperitur. Revelatio sane, ut omnes fatentur, non connectitur cum veritate credenda, si haec revelatio consideratur separatim a Veracitate divina ; sed nec sola Dei Vera- citas sejunctim a revelatione, connectitur cum veri- tate credenda. Nam, ex eo quod Deus sit summe Verax, sequitur intellectum debere esse paratum ad omnia credenda quae Deus revelaverit ; et haec dispositio non est *fides realis*, sed tantum *fides in voto*, et exis- tere posset etiamsi nulla daretur revelatio. Ergo actus *fidei realis* essentialiter pro motivo habet divinam Veracitatem cum actuali revelatione junctam.

90. Prob. 3<sup>o</sup>. Quamvis actus fidei non sit *formaliter*

discursivus, ut ostendemus infra, est tamen discursivus *virtualiter*, quatenus procedit quasi ex duabus praemissis, sic : « Quidquid prima Veritas revelavit « est fide dignum. Atqui prima Veritas revelavit talem « propositionem, v. gr., Verbum assumpsisse carnem. Ergo omni fide dignum est Verbum carnem « assumpsisse. » Ibi medius terminus, seu, medium praemissarum ex quibus conclusio infertur, est *prima Veritas revelans*, in quo medio formaliter includuntur et Veritas divina, et actualis revelatio. Sed medium ex quo infertur conclusio, est praecise ratio motiva adhaerendi conclusioni. Ergo...

Sic igitur respondendum est ad ea quae opponuntur n. 87.

91. *Ad 1.* Motivum fidei hanc habere debet cum veritate credenda connexionem, qua moveamur ad fidem *realem*, et non tantum ad fidem *in voto*. Atqui, ex thesi, illa connexio nec in sola Veracitate, nec in sola revelatione divina reperitur, sed in utriusque complexu.

92. *Ad 2.* Vera et adaequata ratio cur credimus tale dogma, non est simpliciter quia Deus est summe Verax, nec quia fuit illud dogma revelatum, sed quia Deus infinite Verax hoc revelavit. Cur autem credamus Deo summe Veraci et revelanti, non est ulterior ratio assignanda, quia ratio data est prorsus evidens.

93. *Ad 3.* Ubi ratio adaequata duo distincta complectitur, non est inconveniens unam partem ab altera quasi comparte dependere; et ideo in motivo fidei adaequato, revelatio actualis non movet nisi dependenter a Veracitate. At si sumatur motivum fidei adae-

quatum, seu, complexus ex divina Veracitate et revelatione actuali, habet independentem ab omni alia ratione, efficaciam movendi ad assensum, et hoc sufficit.

94. *Ad 4.* Negatur paritas allegata. Huic propositioni universali : *Omnis homo est redemptus*, assentimur simul, et propter divinam Veracitatem, et propter divinam revelationem. At huic propositioni : *Quidquid Deus revelat verum est*, non respondet actus fidei realis, sed tantum actus fidei in voto, seu, dispositio credendi quidquid cognoscetur a Deo revelatum. Ergo praedicta propositio, se sola, haud sufficit ad inducendum actum fidei realem in aliquem determinatum articulum.

95. *Ad 5.* Ut aliqua virtus sit theologica, sufficit si illius objectum materiale praecipuum, ad quod caetera referuntur, et objectum formale inadaequatum, sit entitas increata.

96. *Dico 2<sup>o</sup> : Locutio divina pertinens ad objectum formale fidei, complectitur tum activam, tum passivam locutionem.*

Locutio *activa* est actio divina immanens, seu, volitio qua Deus decernit nobis manifestare proprios conceptus, per signa creata ad audientes directa. Locutio *passiva* consistit in his signis creatis, conceptus divinos manifestantibus.

Jamvero, Cajetanus, Gonet, aliique Thomistae volunt solam locutionem activam pertinere ad fidei motivum; alii, cum Hurtado, assignant solam locutionem passivam; reliqui communius utramque simul.

97. Et hoc ultimum probabilius est. Nam sola locutio activa non est realis et vera locutio, cum sit tantum

voluntas loquendi, et de se nihil manifestet. Sola autem locutio passiva non sufficit ut aliquis dicatur proprie et formaliter loqui. Loqui enim, proprie et formaliter, est ponere signa, cum directione cognitionis et voluntatis determinate illa ordinantis ad audientem; nec alteri etiam veraci credimus praecise quia materialiter loquitur; secus, illi etiam in somno aut ebrietate loquenti crederemus.

QUAESTIO IV.

Quomodo objectum formale fidei cognoscatur?

(Hurter, *De Fide*, n. 461... 468. — Mazella, *De virt. inf.* n. 727... 744; 769... 772.)

98. Resp. « Non credimus, ait conc. Coloniense, « (Tit. 1. cap. 3.) nisi ratione perspicientes Deum esse « credendum, eumque esse locutum. » Unde :

99. Dico 1° : *Antequam fidei divinae actum eliciamus, jam, ex lumine naturali rationis, evidenter cognoscimus Deum existere et esse summe Veracem.*

Profecto, unusquisque innatam habet dispositionem ad Dei summe perfecti, ac proinde summe Veracis existentiam percipiendam; et, quantumvis rudis inveniatur, absque ullo labore capit demonstrationem. Et ideo necessarium non est hanc veritatem ab aliquibus sola fide teneri. Imo, non intelligimus quomodo ille qui per rationem naturalem non certo cognosceret Deum existere et esse summe Veracem, huic duplici dogmati, per actum fidei divinae, rationabiliter assentiretur, ut dictum est supra n. 41.

100. Dico 2° : *Ad fidei actum, ea requiritur revelationis notitia, quae omnem prudentem errandi formidinem excludat.*

Constat 1° *Auctoritate.*

a) Innocentius XI hanc damnavit propositionem (xxi) : « Assensus fidei supernaturalis et utilis ad « salutem, stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine qua quis formidat ne « non sit locutus Deus. »

b) Pius IX, in Encycl. 9 martii 1846, sic se habet : « Humana quidem ratio, ne in re tanti momenti decipiatur et erret, divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet Deum esse locutum, ac Eidem, quemadmodum sapientissime docet Apostolus (Rom. XIII, 1), rationabile obsequium exhibeat.

c) Quibus consonat conc. Coloniense (Tit. 1. Cap. 5.) : « Fidei firmitas requirit, ut qui credit, ratione certo cognoscat Deum esse locutum, nulloque dubio « prudenti hac de re pulsetur. »

101. Constat 2° *ratione.*

a) Actus fidei debet esse simul firmus et prudens. Atqui ille actus foret imprudens, quo quis firmiter alicui loquenti crederet, non certo sciens an ille cui credit revera fuerit locutus.

b) Si ad credendum sufficeret probabilitas revelationis, jam innumerae propositiones, etiam contradictoriae, dummodo probabiliter revelatae ostendantur, ab Ecclesia simul poterunt definiri tanquam dogmata catholica, aut a theologis credi tanquam de fide divina. Porro nemo non videt quanta exinde aperiretur via levitati in credendo. De caetero, sequeretur

fidei divinae posse subesse falsum, quod rejicit conc. Trid. (Sess. VI, cap. 9), ut infra dicemus.

Rationes quibus demonstratur factam fuisse revelationem vocantur *motiva credibilitatis*.

**102. Dico 3° :** *Satis est ut proponantur motiva credibilitatis audientium captui accommodata; nec repugnat insufficientem horumce motivorum propositionem, aliquando per internam Dei illuminationem compleri.*

1<sup>a</sup> pars inde patet quod nihil amplius requiritur, ut quis prudenter ac certo judicet se ad credendum obligari. Hinc, pro intellectu exulto, sagaci et acuto, qui difficultates perspicit et ponderat, clarior et solidior requiritur motivorum expositio, quam pro intellectu pueri et rudis, cui non occurrunt eadem dubitandi rationes.

**103. 2<sup>a</sup> pars** vero constat, eo quod Deus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sane potest efficere ut intellectus magis ac magis illustretur interius circa revelationis credibilitatem: Unde D. Thomas (Quodlibet 2. a. 6.) dicit: « quamvis ordinarie fides fiat credibilis per miracula « et alia externa signa, nihilominus sine illis posse « Deum, per vocationem internam, propositionem « complere, juxta illud Joannis (VI, 45) : *Omnis qui « audivit a Patre et didicit, venit ad me.* Imo « potest, inquit, talis esse interior vocatio, ut teneatur homo non resistere, sed fidem adhibere, juxta « illud Isaiae (L, 5) : *Dominus Deus aperuit mihi « aurem; ego autem non contradico.* »

De his uberior erit sermo, ubi de certitudine actus fidei.

**104. Dico 4° :** *Testimonium Ecclesiae est motivum credibilitatis convenientissimum, licet absolute non necessarium, ut rationabiliter credamus.*

I. Est motivum credibilitatis convenientissimum; quia omnibus etiam imperitis accommodatur. Etenim, uti supra observavimus in tractatu *de Ecclesia*, n. 231, 232, omnes, etiam indocti, imo indocti praesertim, facile percipiunt Deum voluisse ut homo, in negotio Religionis, per auctoritatem infallibilem dirigatur. At sola Ecclesia Romana sibi attribuit hanc auctoritatem vere exercibilem, et sola his characteribus refulget, quae divinam ipsius originem declarant. Ideo a nobis libenter et fiducialiter auditur, ubi asserit se magisterio infallibili divinitus instructam esse; et sic, agnita ejus divina auctoritate, concludimus id omne quod ab ea proponitur tanquam revelatum, ut tale esse accipiendum.

**105. II.** Illud testimonium Ecclesiae non est motivum credibilitatis necessarium, absolute loquendo, ut rationabiliter credamus. Hoc fit evidens considerando motiva quibus, in tractatu *de Religione*, comprobatur divina Christi missio, antequam agatur de existentia et auctoritate Ecclesiae.

**106. III.** Illud tamen motivum est in nonnullis casibus necessarium moraliter. Multoties enim, vel propter revelationis obscuritatem, vel propter ingenii debilitatem in credente, videtur impossibile moraliter alia via ad certam pervenire revelationis notitiam. Imo, testimonium illud, sumptum pro exercitio magisterii infallibilis, quo Ecclesia auctoritative proponit credenda, est medium sine quo, nec publicae revela-

tionis depositum intactum permaneret, nec homines in fidei unitatem coadunarentur.

QUAESTIO V.

Utrum motivum fidei divinae resolvatur ulterius in rationes, quibus naturaliter constat Deum esse credendum, atque locutum fuisse?

(Mazella : *De virt. inf.* n. 761... 768.)

107. Resp. Pervalde refert sensum quaestionis apprimè definire.

Certe credimus Religionis dogmata quia Deus summe Verax illa revelavit. Ulterius autem, hunc esse Veracem et de facto revelasse, judicamus ex rationibus naturaliter evidentibus quae utrumque demonstrant. Et hoc est quod nunc examinandum habemus, nempe : utrum cognitio tum Veracitatis tum locutionis divinae sic ope naturalis demonstrationis acquisita, realiter actum fidei causet, tanquam ratio motiva ulterior; ita ut, quamvis credamus propter auctoritatem Dei revelantis, haec tamen auctoritas virtutem, qua pollet, intellectum ad assensum fidei supernaturalem movendi, mutuetur a rationibus naturaliter notis, quae ostendunt et Deum esse Veracem, et illum revera locutum fuisse; ex quo sequeretur nos, in ultima analysi, credere actu fidei divinae dogmata revelata, ob evidentiam motivorum quibus statuitur, et Deum esse summe Veracem, et illum revelasse. Ad cujus quaestionis solutionem,

108. Dico : *Rationes, quibus naturaliter constat Deum esse Veracem atque de facto revelasse, non*

*possunt esse motivum in quod ulterius resolvatur assensus fidei divinae.*

Etenim, juxta communissimam doctorum sententiam infra stabiliendam, actus fidei supernaturalis est super omnia certus, et certior omni assensu naturaliter evidenti. Atqui, posito quod rationes praedictae sint motivum in quo ulterius resolvatur actus fidei divinae, ille actus non erit super omnia certus, neque certior omni assensu naturali; non erit enim certior illo assensu quem merentur praedictae rationes.

109. Et revera, motiva credibilitatis externa, videlicet, facta miraculosa, non constant, ut plurimum, nisi hominum testimonio. Ego firmitas fidei tunc testimonii humani valori commensurabitur, quod nullo pacto admitti potest.

110. Itaque cognitio Veracitatis divinae necnon facti revelationis naturaliter evidens, est quidem ad fidei actum conditio praerequisita, quatenus homo judicare debet talem veritatem esse evidenter credibilem, ut prudentem illi adhaesionem praebeat; sed haec cognitio proprie et intrinsece ad credendum non movet. Qui ergo, ut ait Mazella (*De virt. inf.* n. 808), convictus evidentia signorum et evidenti demonstratione de auctoritate Dei, alicui objecto assentiret, non eliceret assensum fidei divinae. Sic daemones notarum revelationis splendore perculsi credunt; sed quia propter ipsam hanc evidentiam credunt, nec sistunt in Dei revelantis auctoritate, hinc eorum fides non est supernaturalis.